14

M. GOTTLOB FRIDERICI GVDII,

V. D. M. LAVB.

DIATRIBE HISTORICO-CRITICA

DE

XLVII

IVRIS CONSVLTORVM MERITIS IN SCRIPTVRAM SACRAM;

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE

Von

Rechts-Gelehrten, welche ſich um die Heil. Schrifft verdient gemacht.

QVA SIMVL SCRIPTORES RELIQVI DE POLITICORVM, ILLVSTRIVM, ET NOBILIVM MERITIS IN THEOLOGIAM RECENSENTVR.

LIPSIAE,

A. O. R. MDCCXXIX.

[illegible]

NOn heri aut nudius tertius exorta ſuit parœmia, per omnium fere ora volitans: *Juris conſultos non probos eſſe chriſtianos; Juriſten böſe Chriſten.* Innotuit jam B. LUTHERI ævo, ipſique ſermones inter convivandum miſcenti nonnunquam excidit; quamvis addita nonniſi reſtrictione, de quibus Juris cultoribus intellectum voluerit dicterium. Unicum proferre liceat exemplum. *Wenn ein Juriſt*, inquit vir beatus, *nicht gegründet, und erleuchet iſt von der chriſtlichen Lehre, ſo heiſt es denn recht, die Gelehrten die Verkehrten. Juriſten böſe Chriſten, ja Diaboliſten, und eitel Teuffel* (a). Equidem parœmiam hanc diſcutere & abſtergere laborarunt Juriſconſultorum multi, quos GODOFREDUS MEIERUS *Ictus Giſſenſis* diſſertatione de hac criminatione habita, laudat: (b) tamen impetrare nondum potuerunt, ut oblivioni eandem darent homines. Ille ipſe laudatus Autor natales ejus ex Seculo XV. a. C.N. repetit, odium cauſatus, quo Germanorum plurimi inprimis di-

(a) Confer ejus *Sermones convivales* p. 416, 424.
(b) Prodiit Giſſæ MDCCXIX.

caſteriorum aſſeſſores barbarie & ignorantia tunc temporis adhuc faſcinati, vel nimio patrii juris amore capti, cives ſuos ex Italia Juris Romani peritia imbutos, ingenti numero reduces exceperunt. Eo usque proceſſiſſe odium tradit, ut a nonnullis Germaniæ Ordinibus de numero Doctorum reſtringendo, iisque ab omni conſilio, & judicio ſemovendis, in publicis Comitiis FRIDERICO III. auſpice Anno MCCCCXLI. celebratis actum fuerit: *Das im gantzen Römiſchen Reiche teutſcher Nation keine Doctores mehr vor keinem Rechten weder reden, procuriren, oder weiter procediren ſollen in Schrifften oder andern Rathſchlägen: ſondern aller weltlichen Rechte müſſig ſtehen, darum daſs ſie Stief-Väter und nicht die rechten Erben des Rechten ſind, denn ſie nehmen ihm den Grund der Wahrheit, und bringen durch ihren unordentlichen Geitz das Recht zu einem ſolchen Unglauben, daſs kein fromm Mann ſein Vertrauen mehr darein ſetzen kan* (c). Fortaſſis eos invaſit opinio, quæ prudentiam, peritosque Juris non parum oneravit morum pietati, & rei chriſtianæ damnoſum judicans, eos ſibi in Juris peritia eligere doctores, qui a chriſtianæ religionis profeſſione alieni, quinimo jurati chriſtiani nominis hoſtes fuerint. Hac obtrectatione Romani Juris notitiam proſcindere non dubitarunt, qui DOMITIUM ULPIANUM non modo Chriſtianos

(c) Integrum libellum exhibet GOLDASTVS P. I. *Reichs-Satzung* p. 312. ex quo citata verba excerpſit MEIERVS. Quod ſi etiam hæc conſtitutio in Imperio Romano nunquam recepta fuerit, ſed nonniſi conſilii loco Imperatori oblata; quod multis peritioribus Juris interpretibus viſum fuit; tamen vel ex hoc conſilio patescit odium, quo Germani erga Romani Juris peritos flagrarunt.

nos odioſo *impoſtorum* nomine deſignaſſe, ſed neſanda etiam Principum Romanorum edicta collegiſſe crediderunt, quæ Veri Dei cultoribus poenas minarentur; præterea JULIUM PAULUM *chriſtianos homines ſimplicitate gaudentes, ac deſidiæ deditos* nuncupaſſe. Quæ criminatio quo atrocior eſt, eo majores gratias cel. CORNELIO van ECK ICto & Anteceſſori Ultrajectino habeat Jurisprudentia, qui eam inſigni eruditione, & judicii acumine diſſipavit. (d)

Sed plurimos has origenes fugere crediderim, qui pleno tamen ore hanc effutiunt paroemiam, & maximam Juris conſultorum partem improbitatis accuſant. A majoribus pervenit ad poſteros fabula, quam improbi vitæ mores confirmarunt, quos in iis obſervavit vulgus, qui Juris abitros ſe mentiti fuerunt. Unde nec inconveniens videtur, hos perverſos vitæ mores fontis ad inſtar hujus criminationis conſiderare, maxime apud eos, quibus ex priore fonte eandem haurire per ignorantiam non licuit. Deplorari quippe ſatis nequit, quam vile pretium Scripturæ & Religioni Chriſtianæ ut plurimum ſtatuant, qui politiæ regendæ, & legibus tam dicendis, quam cauſis ad eas perorandis præſunt. (Ut in præſenti innumera iniquitatis ſpecimina taceam, quæ perſonati Juſtitiæ ſacerdotes edunt.) Operam dignitate ſua longe inferiorem ducunt, quam in perlegendas pandectas S. & eruendam ex iis chriſtianæ religionis notitiam collocarent. Haud aliter diviniores veritates tractant, ac inutiles concionatorum nugas, riſu & deſtructione digniores, quam ſeria affirmatione. Hinc eos videas veniam confidenter ſibi impertire nunc negandi, nunc affirmandi, nunc immutandi chri-

(d) Oratione Academica: *de Religione & pietate veterum* JCtorum Ultrajecti habita MDCCXVII. recuſa Halæ MDCCXXIV.

ſtianæ fidei capita, prout ſortis ſuæ ratio tulerit; æque ac Cardinalis CAJETANUS Huſſitis in Bohemia perſuadere ſuſtinuit: *Scripturas eſſe ad tempus adaptatas, & intellectum currere cum praxi* (e). Tanta Chriſtiani nominis dedecora fert ætas noſtra, inter eos qui Jurisprudentiæ ſe ſacrarunt! quæ mali chriſtiani merito audiunt, imo ex chriſtiano orbe ſatius proſcribuntur. Quam ſententiam ſub ſeculi ſuperioris auſpiciis fovit, & publice aſſeruit THOMAS STAPLETONIVS, Theologiæ Doctor in Anglia; in Oratione ſua: *An hodierni Politici in numero chriſtianorum ſint habendi?* disquirens. (f).

Aut animæ immortalitatem, aut Scripturæ veritatem, aut divinæ voluntatis immutabilitatem in dubium vocent neceſſe eſt; qui tantos chriſtianæ religionis contemtores ſe gerere haud verentur. Abſit, ut de ſingulis Juris cultoribus hoc pronunciemus, aut ipſi Juris ſcientiæ cauſam inuramus vitii, quod degeneres quidam illius ſtudioſi ſibi attraxerunt, quando cognoſcendæ religionis chriſtianæ negligentiores fuerunt. Quid mirum, ſi in illa dijudicunda cocutiant? Ea enim poſt feliciſſimam eccleſiæ Reformationem, Juris eſt facies, ut neminem facile in errorem Chriſtianæ religioni noxium inducat.

(e) Recenſente B. FRANCKIO *prælectionibus Hermeneuticis ſuis* p. 168.

(f) Quæ MDCII. impreſſa eſt. Digna ſane, quæ iterata vice typis exſcriberetur. Si enim diſceſſeris ab iis, quæ Zelus pro conſervanda & amplificanda Romano-Catholica Religione ipſi dictitavit; laudem merentur omnem quæ adverſus Politicos Pſeudo-Chriſtianos graviter diſputat. Quandoquidem ea proh dolor! vivimus tempora, quibus ovum ovo ſimilius eſſe nequit, quam politicorum noſtræ ætatis multi, politicis qui STAPLETONII ævo vixerunt.

cat, (g) ſed potius S. literarum ſtudium ſuaviſſimo conſortio ſibi aſſociet. Aſt illarum cognitio quem deficit, hoſtibus ſe inermem præbet; venit, videt, vincitur! Ignarus quantum robur animis addat frequens Scripturæ lectio, & curatius articulorum fidei ſcrutinium, qui indiſſolubili nexu inter ſe cohærent. Utinam Juris ſtudioſi animæ ſuæ ſaluti conſulerent, & tam in Scholis, quam in Academiis cum Juſtinianæi codicis lectione, codicis S. lectionem, nec non compendii cujusdam theologici, quod religionis noſtræ capita exponit, ſedulo conjungerent; niſi Collegium quoddam Theologiæ Theticæ & Moralis frequentare ipſis licuerit. Hac ratione procul dubio ſupprimerent contemtum adverſus ſcripturam & chriſtianam religionem in iis aſſurgentem. Idem non ſolum dictum eſto, qui in Romani juris legibus interpretandis aut cauſis perorandis vitam conſumunt & vires; ſed in genere politicis h. e. iis, quorum artis genus in rebus ad humanam felicitatem ſpectantibus verſatur. Medicos & Philoſophos enim veritatis chriſtianæ hoſtes literarum hiſtoria exhibet non paucos, plures quotidiana experientia.

At enim vero de iis rei publicæ & chriſtianæ peſtibus nobis jam non eſt ſermo! Cordatiores illis nunc opponimus politicos. Viros, quorum meritis politia pariter ac eccleſia inclaruit. Oppoſita quippe juxta ſe poſita magis eluceſcunt.

Va-

(g) Quamvis enim reformationis beneficio gemebundæ eccleſiæ potiſſimum opem ferre voluerit Deus; tamen in rem publicam quoque & Jurisprudentiam illius rectricem varia redundarunt commoda; quæ ſiſtunt D. BECKIUS diſſert. *de jurisprudentia per emendationem religionis reformata*, Jenæ habita MDCCXVII. & M. STOLLE programmate, *de Politices poſt reformationem eccleſiæ a B. Luthero ſusceptam inſtauratione & incrementis* ibidem 1727. evulgato.

Valeant, & ad meliorem frugem redeant, qui politici perſonam tuentur, & ſummæ laudi ſibi ducunt, quando veritates ab omnibus emendatæ mentis creditas, adeo & ipſam ſcripturam ſacram, cujus autoritatem omnes boni venerantur, floccipendunt, illasque cuniculis, licet irrito conatu, ſubruere moliuntur. Depinxit nomina & vitia ducum illorum cl. REIMANNUS *Hiſtoria Univerſali Atheismi & Atheorum falſo & merito ſuſpectorum.* Majus & æquius pretium ſacris ſtudiis ſtatuere noverunt, qui licet rebus politicis tractandis aut nati, aut electo ſtudiorum genere ſacrati fuerint; ipſum Theologiæ ſtudium dignitatem ſuam non putarunt, ſed tempus & operam in illud pertractandum aut ſcriptis illuſtrandum optime collocari cenſuerunt. Quorum quidem, ſingula nomina & merita in ſcenam de novo producere nolumus, ne crambem decies coctam lectori apponamus. Sufficiat modo illos nominando recolere, qui nomina & politicorum merita in Theologiam collegerunt & recenſuerunt. Primas facile inter eos tenet B. D. GEORGIUS HEINRICUS GOETZIUS, Superintendens Lubecenſis; qui principum merita in Theologiam laudaturus ſequentes diatribas hiſtoricas contexuit. De *Principe Græce docto* 1714. *Principe Commentatore biblico* 1706. *Principe concionatore; Principe hebraice docto.* Quas duas poſteriores diſſertationes *in Meletematibus ſuis Annæbergenſibus* invenire licet n. X. & XVI. Excipit eum D. JOHANNES CASPAR LOESCHERUS Superintendens Rochlicenſis, qui Lipſiæ Anno MDCCXIII. in lucem prodire juſſit: *Curieuſes Verzeichnis durchlauchtiger Perſonen, welche ſich in Theologiſchen Wiſſenſchafften mit Schrifften hervor gethan.* Commemorandus hic eſt ſumme reverendus Frater illius D. VALENTINUS ERNESTUS LOESCHERUS

qui

qui P. III. *decimarum Evangelicarum ſuarum* p. 203. duodecim Juriſconſultos laudat, qui theologicis ſcriptis de Religione & Pietate optime meriti fuerunt; nec non B.D. PIPPINGIUS: qui *Septenarium virorum celebrium ſcripſit, qui utut profeſſione Theologi haud fuerunt, Scripta tamen ediderunt aut tranſtulerunt aut inchoata reliquerunt theologica.* Inſertum Sacro decadum ſeptenario 1701. præterea D. HEINECCIUS *de Juris Conſultis chriſtianis priorum ſeculorum eorumque in eccleſiam meritis.* Plures tradit M. CHRISTOPHORUS GRÆFIUS, philologus inſignis, dum viveret, Scholæ Altenburgenſis Conrector in *Politico ſuo Orientali;* quem Notis ſuis adjecit, quibus R. Moſis Maimonidis Epiſtolam de Falſo Meſſia illuſtravit. Altenburgi 1679. REINHARD HENRICUS ROLLIUS *Bibliotheca nobilium theologorum hiſtorico-theologica ſelecta.* Roſtochii MDCCVIII. M. JOH. BALTHASAR NIHENCK Diſſ. *de Nobili Theologo Lutherano.* Roſtochii. D. JOHANNES FECHTIUS de Nobilitate ſtudii Theologici 1692. Roſtochii. L. JOHANNES HENRICUS von SEELEN diatriba Hiſtorico-Critica *de Medicorum Meritis in Scripturam Sacram.* Lubecæ MDCCXIX. Nec non JO. ADAM BERNHARD in der curieuſen Hiſtorie der Gelehrten L. III. c. V.

Liceat has collectiones imitari, ipſisque novam adjungere, quæ Juris-Conſultorum merita in Scripturam S. continet; Illius modo divinitatem muniendo; modo integros Commentarios in eos conſcribendo, modo diſſertationibus & peculiaribus obſervationibus hanc, vel illam Scripturæ particulam illuſtrando; modo varia ſubſidia hermeneutica, quo nomine verſiones, Lexica Hebræa & Græca, Grammaticæ, & hiſtoriæ rituumque Sacrorum recenſiones veniunt, largiter

ſuppeditando. Prodeant & Themidos ſuæ laudes vindicent! ſuis ipſorum exemplis demonſtrent, quod & Romanæ & divinæ Legis interpretatio ab uno homine ſimul ſuſcipi poſſit. In *priori Claſſe* loca ſua merito tenent, PHILIPPVS MORNÆVS & HVGO GROTIVS, qui libellis ſuis nunquam ſatis laudandis *de veritate Religionis Chriſtianæ*, Codicis ſacri divinitatem maſcule adſtruxerunt. Quibus adjungimus cl. GERHARDVM von MASTRICHT, qui *Canonem Scripturæ S. ſecundum ſeriem ſeculorum N. T.* collectum nullo alio conſilio edidit, quam ut bibliorum, quæ hodie teruntur manibus, convenientiam cum antiquioribus demonſtraret; necnon JACOBVM HASÆVM J. V. D. & Philoſophiæ moralis Doctorem in Gymnaſio Bremenſi, *qui textus N. T. puritatem vindicavit adverſus eos, qui eum gloſſematibus impletum eſſe credunt* (h) *Alteram Claſſem* ingreditur rurſus HVGO GROTIVS, qui non contemnendos in univerſam Scripturam S. commentarios nobis reliquit (i) præivit hunc politicum ſcripturam S. explicando CHRISTOPHORVS HEGENDORPHINVS Juris Profeſſor in Academia Viadrina; cui *Hiſtoriam Paſſionis Chriſti notis illuſtratam*, *Annotationes in Marcum*, *Apoſtolorum Acta*,

(h) Inſerta eſt diſſertatio *Bibliotheca Bremenſi* el. I. p. 687. Idem argumentum diſcuſſit cl. SCHARBAU *Parergis Philologico-theologicis* P. II. Diſſ. 2. §. 16. 17.

(i) Varia Judicia GROTII Scripta fuere experta; quæ collegit HERMANN HEINRICUS ENGELBRECHT in præfat. quam *Johannes Seyferti Claſſico belli ſacri aduerſus Hugonem Grotium papiſtam ab omnibus Lutheranis ſuſcipiendi decantato* præmiſit, cum illud hoc ipſo anno recudi curaverit. Grotium, aut quemcunque alium interpretem evolventes Paulini illius ſimus memores: omnia probate, quod bonum retinete.

Acta, *Epiſtolas Petri*, *Epiſtolam ad Hebræos nec non translationem Pharaphraſeos Nonni Evangelii Johannis debemus*. JOACHIMVS de BEVST conſcripſit *Commentarium in Evangelia & epiſtolas dominicales*. CONRADVS HERESBACHIVS, *Pſalmos Davidis* illuſtravit interpretatione; Imitatus eſt eorum exemplum noſtra ætate illuſtris Baro de CANSTEIN *Harmonia ſua Evangeliſtarum* immortalem gloriam conſecutus. ANDREAS MASIVS *commentatus eſt in Librum Joſuæ*. HERMANNVS DEVSINGIVS Juris-Conſultus Groninganus edidit *Moſen evangelizantem*, ſ. explicationem Allegorico-Propheticam hiſtoriarum Moſaicarum. EDVARDVS LEIGH *Commentarium in Libros V. T. Poeticos* prelo ſubjecit. Huic claſſi etiam accenſendus eſt JOH. FRID. HOMBERGK zu Vach Juris in Acad. Marburg. Profeſſor, qui *in Novum Teſtamentum Obſervationes in lucem emiſit*.

Tertiam claſſem, ornat JO. SAMVEL STRYCKIUS, *de Juris prudentia Pauli* differens. D. LAURENTIUS RAMIREZ de PRADO *quinquaginta Philologiæ Sacræ & humanioris capita* illuſtrans (k). HERMANNUS DEUSINGIUS jam laudatus *Pſalmo* XIX, LXVIII, Apocal. XIII, 17. 18. Joh. V, v. 28. aliisque Scripturæ S. obſcurioribus dictis lucem affundens. JACOBUS HASÆUS ſupra comemoratus Caput XXVII. & XXVIII. Act. egregie interpretatus eſt; *Inquinata etiam Sardienſium* veſtimenta Apoc. III. 4. explicatione exornavit; & *Analecta Biblica* edidit. FRIDERICUS CHRISTOPH NEUBOUR potentiſſimo Brittaniæ Regi in Electora-

(k) Quæ cum ALEX. MORI notis in Novum Foedus, & PETRI POSSINI Spicilegio Evangelico junctim recudi curavit JO. ALBERTVS FABRICIVS. Hamburgi MDCCXII.

tu Brunſvicenſi & Luneburgico a Judiciis militaribus *ſtri-ctura s annotationum Philologicarum in nonnulla N.* T. *loca;* Diatriben *de Exercitatione corporali* ad 1. Tim. IV, 7. 8. *de battologia Ethnicorum* ad Matth. VI, 7. *meditationem* præterea *Juridico-Criticam ad* Gal. IV, 1. 2. Bibliothecæ Bremenſi una cum ceteris jam nominatis inſeruit. JACOBUS GOTHOFREDUS nitidiſſimum Aſtrææ ſidus in Gallia reliquit duas Exercitationes S. alteram *de eccleſia;* alteram *de incarnatione Chriſti* ad 1. Tim. III, 15. 16. quæ Tomo V. Critic. Anglicanorum p. 914. exhibentur. Quibus non immerito addemus acerrimum pietatis vindicem, AHASVERUM FRITSCHIUM, qui in ſcriptis ſuis præſertim quidem Aſcetica tractavit; tamen locis biblicis etiam data occaſione lucem affudit, & GEORGIUM CHRISTOPHORUM WALTERUM JCtum Holſatum qui Anno 1650. *Poſtillam Theologico-Politico-Juridicam* elaboravit (l).

In *Quarta* denique *claſſe* conſpicimus JO. ALBERTVM WIDMANSTADIUM Auſtriæ cancellarium, qui operam dedit, ut auſpiciis & ſumtibus Imperatoris Ferdinandi *Syriaca N. T. verſio* primum typis exſcriberetur, poſtquam ante eum Orientalium linguarum in Germania inſtaurator JO. REUCHLINUS *dictionarium Hebraicum*, & Tractatus duos *de accentibus & orthographia linguæ Hebreæ*, nec non *de Verbo Dei* edi curaverat. Pertinet huc ULRICUS HUBERUS, qui *diſſertationibus ſuis Juridico-Theologicis*, *de Teſtamentis & Foederibus*, nec non illuſtris PUFFENDORFFIUS *Jure ſuo feciali divino*, & SECKENDORFIUS *Statu Chriſtiano ſuo*, varia Scripturæ loca clariora reddidit. Ecquis

(l) Cujus mentionem injicit D. LOESCHERUS decimarum Evangel. P. III, p. 209. qui ibidem HEGENDORFINI Scripta citat.

quis neſcit? quanta commoda rei exegeticæ tulerit PETRUS CUNÆUS Tractatu de *Republica Hebræorum*; JO. SELDENVS exaſciatis ſcriptis de *Succeſſione in bona defuncti juxta leges Hebræorum. De Succeſſione in pontificatu Hebræorum; De Jure naturæ & gentium juxta diſciplinam Hebræorum; De anno civili & calendario Judæorum. De Uxore Hebræa. De Synedriis & Præfecturis Veterum Hebræorum*, *de Servo Hebræo* CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS, Tr. *de igneis Satanæ telis; diſſertatione ad Gen.* XLIX, 10. illuſtratione tractatus Talmudici, SOTA; GUILIELMUS LANGIUS Tr. *de annis Chriſti*; WIGANDUS HAPPELIUS JCtus Marpurgenſis *Grammatica Hebræa*; EDUARDUS LEIGH *Critica Sacra.* GEORGIUS RITTERSHUSIUS Tr. de *Jure aſylorum*, PETRUS PITHOEUS *collatione ſua legum Moſaicarum & Romanarum (m)*, THEODORUS REINKINGIUS, *Biblica ſua Politia.* & forte longe plures, quorum nomina & merita nobis non ſuccurrunt!

In præſenti hæc nomina recenſuiſſe ſufficiat! Magnos enim viros nominaſſe eſt laudaſſe! quid præterea tantis nominibus addam, non habeo.

Nam hæc ipſa merita, æquis lectionibus & Theologiæ cultoribus autores ſuos de meliore commendant. Sed ad finem properanti tria monenda ſuccurrunt. Primum eſt; *num Juriſconſultis liceat S. S. interpretari:* alterum; *num Politicos deceat S. S. explicare;* Tertium denique; *Quid Politico circa ſ. codicis explicationem conveniat;* Veniam politicis nemo denegabit, niſi principiis papiſmum redolentibus adhuc imbutus Theologiæ cultoribus quaſi monopolium

(m) Uterque Tr. inſertus eſt Tomo VI. *Criticorum Anglican.* p. 1506. 214.

Scripturam interpretandi arrogandum eſſe duxerit (n), quemadmodum adeo conſultius eſſe quidam credunt, ut a Theologis Philoſophia doceatur. Quaſi his conceſſum eſſet privilegium ab omnibus præjudiciis & erroribus immunes manere! Quid? quod politicis incumbere crediderim, ut operam ſuam ad S. S. interpretationem conferant, ſi mediis ad illam neceſſariis ſint inſtructi. Ipſius Juris naturæ præcepta illis imperant, ut quibuscunque facultatibus abundent, in proximi ſui commoda impendant. Accedit, quod in Scriptura Sacra occurrant, quæ ex Juris nonniſi peritia lucem fœnerari queunt. Tum in vocum quarundam genuinis notionibus; tum in ratione legum Moſaicarum forenſium rectius perſpicienda (o). Præterea tantum abeſt, ut hoc ſtudium Juris-Conſultos dedeceat; ut potius cultura ejus magno honori & laudi, utilitati inſuper ac jucunditati illis cedat. Quæ enim eſt diſciplina, quæ circa ſublimius & utilius objectum verſatur quam Theologia, & in ſpecie exegeſis S. (p). In hac non ab effatis humanis dependere oportet, ſed omnium interpretum ſententias ad trutinam revocare, examinare, & modo illis ſubſcribere, modo ab illis recedere licet! In hac majo-

(n) Vide B. D. J. T. MAYERI Diſſertat. *qua Lectionem S. S. Laicis concedendam eſſe ſolidis rationibus evicit,* Witteb. 1687. audiamus COLOMESSII querelam de iniquitate Pontificiorum Theologorum. Conſcripſerat Commentarium in Evangeliſtas; tamen non audebat Pariſiis eum excudi curare. Nam quibus unicum ſtudium eſt Theologiæ, inquit in *Icone Presbyterianorum,* nolunt eam nobis attentari.

(o) Cf. RAMBACHII *Inſtitutiones Hermeneuticas* p. 496.

(p) Commendarunt hoc nomine Theologiæ ſtudium P. FECHTIUS differt. de Nobilitate ſtudii Theologici & D. BUDDEUS commentat. De eo, quod in Theologia pulchrum eſt 1715.

majora ſubinde incrementa facere & ſperare datum eſt (q) In ſcripturæ S. receſſus mediante exegeſi penetrare quid eſt aliud niſi viam ad cœlum ducentem cognoſcere. Politicis denique jus Architectonicum circa ſacra, quod vocant, competit. Quam fallentur in eligendis Miniſterii Canditatis, niſi intelligant ipſi, quod ab iis requirunt, quibus animarum curam demandare ſatagunt? Ex his ſufficienter patere exiſtimo, non dedecori Juris peritis eſſe, in Scripturæ explicationem operam ſuam conferre (r). Unum adhuc dicendum ſupereſſe video, qua ratione hoc ſtudium aggredi debeant? Nimirum accedant ad Scripturam explicandam nonniſi neceſſariis ſcientiis & donis præſertim gratiæ inſtructi (s). Suſcipiant Scripturæ explicationem genuino fine ducti. Caveant ſibi a *ſcepticiſmo Exegetico* h. e. a vitio ſingulas ſingulorum interpretationes ſine jure labefactandi (t). Temperent

(q) Differuit *de Incrementis ſtudii exegetici adhuc ſperandis* D. CHRISTIAN MUNDENIUS Helmſtadii 1727 & de Incrementis ſtudii Theologici in genere D. WALCHIUS.

(r) Quibus ex cauſis procul dubio D. JACOBUS CARMONIUS JCtus Roſtoch. Juris cultoribus Theologiæ ſtudium commendavit diſſertat. *de Scientiis, quæ Jurisprudentiæ ſtudium potiſſimum adjuvant & exornant.* Roſtochii 1720.

(s) Confer. D. WALCHII diſſert. *de varia indole interpretum S. S.* Jenæ 1727. quam neceſſaria autem dona gratiæ ſint interpreti, evicit diſſert. de *Scripturæ Scrutatoribus donis gratiæ deſtitutis.* ibid. 1726. habita.

(t) Cujus meminit D. WALCH diſſ. de varia Interpretum indole: p. 49.

rent ſibi a ſupercilioſo aliorum contemtu, quos a veritatis tramite deflexiſſe obſervant, permittant aliis libertatem a ſe diſſentiendi, quam ſibimet ipſis conceſſerunt; & quem ſenſum divina gratia favente conſecuti fuerunt, perſpicue aliis proponant. Hos intra limites non erit inanis illorum labor, ſed tam ſuæ quam aliorum ſaluti maxime conſulent.